ACTA
ECCLESIÆ
MEDIOLANENSIS
A S. CAROLO
CARDINALI S. PRAXEDIS ARCHIEPISCOPO
CONDITA,
FEDERICI CARD.
BORROMÆI
ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI
JUSSU

Undique diligentius collecta, & poſtrema hac Editione aucta.

TOMUS SECUNDUS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCLIV.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

REGULÆ,
ET INSTRUCTIONES
DE NITORE ET MUNDITIA
ECCLESIARUM, ALTARIUM,

Sacrorum locorum, & ſupellectilis Eccleſiaſticæ.

Caroli S. R. E. Card. tituli S. Praxedis Archiepiſcopi juſſu,

Ex Concilii Provincialis V. decreto confectæ, & in Synodo XI. Mediolanenſi promulgatæ ad Provinciæ Mediolanenſis uſum.

Prov. 5. SAcrarum rerum munditiam, Eccleſiaſticis functionibus præceptam, a Majorum noſtrorum conſuetudine, diligentique uſu acceptam, gravi decreto Provinciali a nobis conſtitutam, non ſatis viſum eſt univerſe iis præſcribere, qui ejuſmodi curæ præfecti ſunt; niſi certas etiam & proprias præceptiones explicaremus, quibus res ſingulæ mundæ ſervarentur; atque id eo magis faciendum fuit, quam & in omnes partes deberi intelligitur cultui, officiiſque divinis; & facile etiam ex uſu quodam inconſiderato a ſacris Miniſtris negligi perſpicitur: quæ quidem non ad rerum divinarum decorum tantum valebunt; ſed ad ipſarum quoque rerum integritatem, & incolumitatem, quæ cum munditia conjuncta eſt, plurimum conducent: debebunt vero qui ejuſmodi curationem ſortiti fuerint, his præſcriptis ita uti; ut cum omnia in eis contenta præſtiterint, induſtriæ ſuæ tamen aditum ad alia omnia clauſum non arbitrentur, quibus opus Domini perfectius efficiatur.

Primum igitur his annis ſingulis, ſemel ante Natalis Domini diem, iterum ante Pentecoſtis Solemnitatem, univerſæ Eccleſiæ, & ſacellorum ſuperficies interior, a ſolo ad faſtigium emundetur diligenter a pulvere, operibus aranearum, & omni ſorde, per operarios in rebus ejuſmodi exercitatos.

Idem præſtetur in facie Eccleſiæ, ſi artificio ſit ad pulverem aut ſordes contrahendas apto.

Quod ſculptum, fictum, cælatum fuerit, præſertim ſi idem ſit pictum, aut auratum; molliter ſtringatur, ſæpiuſque ſi opus ſit, purgetur: adhibitis ad tergendum mollibus penicillis, aut ſcopulis ex paluſtris arundinis quaſi pluma.

Columnarum, ſi ſint, baſes ſaltem; vaſa aquæ benedictæ; gradus; cancelli; tabulæ quæ ſepulcra claudunt; menſæ altarium, ſi conſecratæ non ſint; Sacrarii pars exterior; labra ad uſum manuum abluendarum; & omnia lapidea quæ in Eccleſia & ſacriſtia ſunt, nitida reddantur: quæ aſperiora ſunt, arena & aqua fricentur: lævigata, aqua & cinere: lucida tergantur, adhibito eo veluti unguine, ſeu pulte, quæ fit ex politura cryſtalli, cum panno coactili, quem feltrum appellant: aut vero etiam ratione præſcripta ſupellectili, quæ eſt ex aurichalco: quæ vero ita abſterſa, & lavata fuerint, ſiccentur etiam diligenter.

Singulis menſibus, ſi fieri poſſit, eadem pars interior Eccleſiæ & cappellarum mundetur, quantum homo in ſolo ſtans, & ſcopulam arundini ſeu perticæ bene longæ alligatam adhibens, facere poſſit.

Neque vero tunc omittatur pars ſuperior cappellarum, ſi arundo pertingat: tum anguli omnes verrantur, ſcamnis quibuſcunque altariumque ſuppedaneis ſeu bradellis remotis: ſi id commode fieri poſſit: ad hujuſmodi autem uſum etiam adhiberi poterunt perticæ conjunctæ, & per funem ductiles; ita ut magis minuſve alte adigi pro neceſſitate poſſint.

Eadem diligentia ſacriſtiæ adhibeatur.

Quæ ex ligneo nucea, aut ſimili ſunt, oſtia, valvæ, ſuggeſtus, ſubſellia chori, lectorilia, candelabra ad chori uſum, cornua quibus ſuſtinentur lampades, altarium ſuppedanea, ſedes Confeſſionales, ſcabella genualia ſeu ſcamna ad genuflectendum, ſcrinia, armaria, & ſi quæ alia ſunt hujuſmodi in Eccleſia, & ſacriſtia, eodem temporis intervallo bene abſtergantur laneo panno, aut lineo craſſo, ſed molli.

Solum chori ligneum bene itidem fricetur craſſiori panno.

Bis vero ſingulis annis, eadem, quatenus commode fieri poſſit, fricentur nucleis in panno incluſis: præter ea tamen, quæ ſandaracha, quam vernicem dicunt, ſunt oblita.

Interim dum hæc præſtentur, velentur picturæ, & altaria tecta ſint.

Vas aquæ benedictæ, præter eam accuratiorem fricationem, bene etiam lavetur ſcopula, & ſpongia tergatur, quotieſcumque aqua benedicta renovatur.

Labra item lapidea ſacriſtiæ, ex quo ſcilicet, & in quod aqua effluit ad manus Sacerdotum abluendas, eodem modo, & tempore mundentur, præter eandem illam accuratiorem emundationem.

Specularia vitrea, ſi alto loco ſint, cum univerſæ Eccleſiæ partes, ut præſcripſimus, purgantur; ſi humili, ſingulo menſe ſcopula arundinea vel humida ſpongia mundentur, & panno lineo abſtergantur.

Can-